



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ Pontificum Romanorum

Ex Antiquis Monumentis Collectae

Sandini, Antonio

Bambergae, 1753

CXIV. Bonifacius VI. Anno Christi 896. Lamberti 3. Leonis Sapientis 11.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65464](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65464)

*Auxilio in laudes Formosi Papæ con-
sentit Flodoardus cum in historia, tum
in libro metrico de Romanis Pontificibus,
cujus libri magna pars typis vulgata est
in parte 2. Sæculi tertii Benedictini,
ubi de Formoso hæc inter alia leguntur.*

Præsul hic egregius Formosus laudibus altis
Evehitur: castus, parcus sibi, largus ege-
nis:

Bulgaricæ genti fidei qui sēmina sparsit.
Delubra destruxit, populum cœlestibus
armis

Instruxit tolerans discrimina plurima:
promptus

Exemplum tribuens, ut sint adversa ferenda,
Et beneviventi metuenda incommoda nulla.

*At Formosum non ita culpæ expertem
fuisse contendit Morinus, quin Stephanus
Pl. probabilem in eum mortuum saviendi
causam habuerit. De hoc alii judicent.
Vide Natalem Alexandrum in Hist. Eccl.
Sæc. IX. & X. cap. 1. art. 14.*

CXIV.

BONIFACIUS VI.

ANNO CHRISTI 896.

LAMBERTI 3. LEONIS
SAPIENTIS 11.

BONIFACIUM VI. Hadriani
filium, Romanum, primùm de
li 2 Sub-

Subdiaconatu, postmodum de Presbyteratu depositum, manus popularis in locum Formosi Pontificem subdidit.
 (1) Sunt propterea, qui negent, summis Pontificibus annumerandum.
 Bar. an. 897. §. 1. Si assentiri plerisque necesse est, haud
 Pag. 896. dubiè habendus in numero Pontificum. (2) *De hoc, ob Pontificatus*
 §. 8. 9. brevitatem, nihil memoriâ dignum invenitur, ut ait Ciaconius. Et quidem auctoribus Martino Polono, Hermanno Contracto in Chron. & Flodoardo de Romanis Pontificibus, podagræ dolore confectus interit.
 Bar. an. 904. §. 6. *Ter quinos hic in arce dies explevit honoris.*

ANNOTATIONES.

(1) Legitur id cap. 3. Concilii Romani anno 904. celebrati apud Labbeum tom. 9. Conc. pag. 503.

(2) Baronius ad an. 897. §. 1. *Quod autem intrusorum Pontificum alii ut Pontifices postea recepti inveniuntur, alii vero penitus abrogati, ut iste, de quo agimus, Bonifacius, inde evenit, quod illi quantumlibet tyrannicè adepti fuerint Sedem, tamen accedente consensu Cleri, satius esse existimantes, eos qualescunque*
 sole-

tolerandos, quam Ecclesiam Schismate
 conscindendam, ut legitimi Pontifices
 novis comitiis, consuetis ritibus sint ele-
 cti. Hac ut dicamus, illud planè necessa-
 rio cogit, quòd universa Ecclesia Catho-
 lica eos ut legitimos Pontifices coluit, iis-
 que obedivit, atque ut Christi Vicarios,
 Petrique successores cognovit, ac cultu
 germano Pontifice digno eosdem fre-
 quentavit: quod nequaquam factum fu-
 isset, nisi de facta postea electione consti-
 tisset.

Oldoinus in Nova Additione ad Ciaconium
 tom. 1. pag. 680. *Multis tamen Bonifa-
 cium hunc inter Romanos Pontifices nu-
 merant, & Bonifacium VI. vocant, ut
 Ciaconius supra, Parvinius in Epit. Rom.
 Pont. S. Antoninus, Joannes Bisdomini
 in Chronicis Senarum, & alii: nonnulli
 verò Baronii sententia adhaerentes, illum
 ex Pontificum albo expungunt, cum For-
 moso populi tantum violentiâ successerit.*

CXV.

STEPHANUS VI.

ANNO CHRISTI 896.

LAMBERTI 3. LEONIS
SAPIENTIS II.FORMOSO defuncto is, qui post necem
Formosi Papa constitutus est,

li 3

ex-